æternus Parens per Davidicam citharam Ps. 44. 1. *Eructavit cor meum Verbum bonum.* Pro *eructavit* est Hebræum *rachas*, quod significat *ebullire* præ nimio fervore, & ardore subjecti ignis: & videtur nonnullis sumpta metaphora ab oleo, & rebus, quæ friguntur in sartagine cum sibilo stridulo. Sic internus Paterni cordis & amoris calor conceptum Verbum confovens, divinum cor, & Verbum quasi ebullire fecit cum vocis sonitu, sibilo, & stridore; sonante, & erupente ex præcordiis spiritu charitatis ardentissimæ, usque ad assumptam humanitatem. Verbum enim bonũ, quod ebullire fecit ex corde Altissimi amor, Verbum divinum est homo factum. Quod *bonum* hîc appellatur, Hebraicè *pulchrum, jucundum, lætum, suave; utile*; quia hominibus commodum, captuique nostro aptatum. Quid mirum, si cor Dei amore exardescens os erudiebat illius, ut verbi sui sublimitatem deprimeret usque ad hominum captum? Sic Davidis verba capit S. Cyrillus in Catena Græca in Psalmos: *Quia salutis, & vitæ mundi causa, sponte exinanitionem tulit, necesse fuit verbum bonum appellari.* S. Athanas. in eadem Catena Græca componit Davidica verba cum iliis Isaiæ juxta LXX. Interpretum, & Pauli translationem: *Verbum abbreviatum faciet Dominus exercituum in orbe terræ.* Pro *abbreviatum*, est vox *charuths*, id est, *decurtatum, concisum.* Abbreviatum Dei Verbum per Incarnationem fuit, decurtatum, concisum; ita ut in infantili corpore appareret, hominum captui accommodatum. Amor utique hoc fecit: *Num delectat, nisi amor invitet, decurtata, & mutila verba immurmurare?* Amor Deum ipsum invitavit, & quodammodo impulit, ut abbreviatum & decurtatum suum Verbum immurmuraret. Ut enim S. Bernard. Ser. 67. in Cantica: *Flagrans, ac vehemens amor præsertim divinus, cùm se intra se cohibere non valeat, non attendit quo ordine, qua lege, quave serie, seu paucitate verborum ebulliat, dummodò ex hoc nullum sentiat sui detrimentum.*

Psal. 44. 1.

חרש

Amor Deum invitavit, ut Verbum suum abbreviatum, ac decurtatum immurmuraret.

S. Cyrill.

Isai. 10. 2. ad Rom. 9. 28.

תרוץ

S. Athan.

S. Bernard.

SECTIO VII.

Christus D. per Incarnationem, ex ore Altissimi processit, ut Verbum, *seu* Sermo scriptus.

353 PRæmitto cum Gilleberto Abbate Cistercienſi Ser. 47. in Cantica: *Bonum est si dicantur verba; sed nihilominus bonum est, si scribantur verba. Volat enim irrevocabile verbum, nisi scripto mandetur. Scriptura verbum & stabile facit, & visibile; mandatum paginæ reposcetur cùm voles. Bonus depositarius est liber, integrè quod acceperit resignans; cùm voles sumes, ubi voles leges, quamdiu voles moraberis. Scriptura memoriæ reparatrix est, quia verbi repræsentatrix est.* Ea propter commodiùs adhuc dicemus, Christum, quà homo est, *ex ore Altissimi* prodiisse, non ut vocem dumtaxat, quæ ubi primùm sonat, ibi suffocatur, & exhauritur omnis ejus commoditas auditu primo; sed ut *Verbum*, seu *sermonem scriptum*, qui stabilis est, & visibilis. Subinde Regius Cantor Ps. 44. ubi ubi ex Persona Patris præmisit: *Eructavit cor meũ Verbum bonum*, è vestigio subtexit: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Quasi Verbũ ex corde Paterno prodiens, ad instar scripti sermonis sit, linguâ Dei calami vices gerente. Unde præclarè ibi S. Augustinus: *Quia quod lingua dicitur, sonat & transit; quod scribitur, manet. Cùm ergò dicat Deus Verbum, & verbum, quod dicitur, non sonet, & transeat, sed & dicatur, & maneat, scriptis hoc maluit Deus comparare, quàm sonis.*

Gilleber.

Verbum bonum singulariter est, quod scribitur duraturum in sæcula.

Ps. 44. 1.

S. August.

Scripti verbi similitudo aptior pro Incarnationis mysterio. Theodotus.

354 Hic audiendus Theodotus, magnus ille Ancyræ Episcopus Homil. in Natal. Salvatoris to. 6. Concilii Ephesini c. 10. ubi mirum cogitationi nostræ conciliat splendorem, ita argutè: *Verbi hodierno die nati manifestationem ostendamus, commodoque exemplo, quo pacto id, quod suapte natura cerni nequit, fiat visibile: quodque ob incorporeã naturã palpabile, non est evadat palpabile, patefaciamus. Verbũ igitur hoc, quod proferimus, quoque in mutuis colloquiis uti consuevimus, verbum est incorporeum, nullo neque visu, neque tactu percipi natum. Atqui simul atque verbum hoc litteras induit elementaque suscepit; mox visibile, palpabileque factum tam visu hauritur, quàm tactu deprehenditur. Pone enim quempiam cum quopiam verba facientem, verba ipsa effusa nemo utique neque cernere, neque manibus contrectare potest. Quòd si verò quæ dicebantur, calamo & chartâ exceperis, jam statim quod priùs videre nequibas, videbis; & quam sermonis formam antea contrectare non poteras, eam per chartã, & characteres jam contrectabis. Quid ita? Quia Verbũ antea incorporeũ corpus chartaceum, elementorũque figuras induit.* Preme verba, & pulchrã expende verbi scripti similitudinẽ; quam longè aptiorem esse, arbitratur Theodotus, voce ipsâ, seu sermone ore prolato, ad declarandam Verbi divini Incarnationem; cum sermo scriptus corporeus sit sensibilis, & visibilis; non sic vox tantummodo prolata.

355 Sibi ipsi consonat Theodotus in altera illa Homilia Ephesi habita, atque hac eleganti scripti Sermonis similitudine temporalem æterni Verbi generationem exprimit. *Tuum Verbũ quædam mentis tuæ proles est: at postquam verbum istud, quod mens tua peperit, elementis ac litteris volueris exprimere, & in charta sermonem efformare, manu litteras describis, & certa quadam ratione verbum tuum per manum denuò eniteris: non quòd tunc sui esse exordium sumat, cùm per litteras exaratur: jam enim ex mente enatum erat. Sed agedum similitudinem ipsi prototypo adaptemus. Hic itaque cernis mentem, ibi Patrem: hic verbum ex mente productum agnoscis, ibi verbum essentiale, subsistensque ex Patre natum vides: hic manũ per litteras verbum parientem conspicaris, ibi verbum per corpus Virgineum generatum. Non quòd ea suo partu aliquod divinitati initium subministraverit, sed quòd Deum inhumanatũ, humanis aspectibus conspicuum, visibilemque reddiderit.* Venustissimè explicat utramque Verbi divini generationem; æternam ex Patre, & temporalem ex Virgine Matre; illam verbi in mente concepti; hanc sermonis in charta descripti similitudine.

Theodotus.

Vtraque Verbi divini generatio explicatur.

356 Hinc Paulus ad Galatas scribens c. 3. 1. *Ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, & in vobis crucifixus.* Per prædicationem suam & fidem, ait Apostolus, Christum esse *præscriptum*, id est, præ oculis Galatarum *scriptum*: & in illis, id est, ante illos, *crucifixum.* Quid enim aliud est Christus, nisi verbum Dei scriptum? assumendo quippe naturam humanam, quasi elementorum figuras

Ad Galat. 3. 1.

Christus est Verbum Dei scriptum.

figuras sibi induit. Accipe ejusdem Theodoti eloquium in eadem scripti sermonis metaphora persistentis. *Ne igitur jactet se Judæus, tanquam, qui purum hominem in crucem egerit: nam quod cernebatur, charta quidem erat; quòd verò in charta abditum latitabat, Verbum erat regium, non linguâ, sed naturâ productum, &c. Et quemadmodum verbum regium simul atque litterarum naturam in se suscepit, charta passionem sibi ipsi appropriat; ita unigenitum Dei Verbum clavis confixi corporis, per passionem proprias sibi æstimat. Quare ut is, qui sacram regiam* (provision real) *violavit, veluti qui ipsum Regis Verbum discerpserit, ultimo afficitur supplicio; sic Judæus quoque id, quod forinsecùs cernebatur, crucifigens, perinde pœnas luit, ac si in ipsummet Dei Verbum impius extitisset.* En tibi, quo jure dicamus, Christum D. ex ore paterno procedere ut verbum, ut sermonem scriptum.

Theodotus.

Crucifixus Iesus quasi sacra regia scriptura.

357 Ast, quo calamo, quo atramento, qua in charta scriptum hoc Verbum extitit? Dicam breviter. *Calamus* Spiritus sanctus est, qui in Deiparam supervenit, eamque divina virtute obumbravit ad Dominicæ Incarnationis opus. Sic nonnulli interpretantur illa Davidis verba Ps. 44. 2. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Pulchrè S. August. lib. de essentia divinitatis: *Lingua Dei mysticè significat Spiritum sanctum, per quem Deus Pater secretum suum hominibus manifestavit. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Dicitur Spiritus sanctus promptissimus instar calami expeditissimi scribæ promptè, & celeriter scribentis, quia Corpus Christi unico temporis momento in utero Virginis efformavit; ut certa atque indubitata fert Theologorum sententia, apud nostrum Soarium to. 2. in 3. p. disput. 11. Sect. 2. Id enim exigebat virtus agentis infiniti, scilicet Spiritus sancti. *Tantò enim aliquod agens* (ait S. Thom. 3. p. q. 33. a. 1.) *citiùs potest materiam disponere, quantò majoris virtutis est. Unde agens infinitæ virtutis potest in instanti materiam disponere ad debitam formam.* Calamus ergò fuit Spiritus sanctus infinitæ velocitatis ad opus Incarnationis, ut in instanti Verbum paternæ mentis incorporeum, corpus chartaceum, elementorumq; figuras indueret. Quid mirum, si Spiritus sanctus notionalis amor Dei est, celerem manum & calamum sic promptum admoveret pro Christi formatione, & consueta temporum spatia præcederet? Dei enim amor dilationem non patitur: celerrimum, & quodammodo præcipitem nuncupabis. Rectè S. Nazianz. Orat. in Laud. Cypriani: *Hoc donum, & primum beneficium habemus, quòd quàm celerrimè ad mutuos amplexus ipsi accurrimus. Neque enim zelus dilationem fert, totiusque vitæ instar est unius diculæ spatium desiderio laborantibus*, quod in Spiritu sancto suum locum habet. Hinc etiam de Christo Isaias c. 5. 26. *Ecce festinus velociter veniet.* Et c. 8. 3. *Voca nomen ejus, Accelera festina.* Et Cant. 2. 7. appellatur *Saliens in montibus.* Sic venit velocissimè currens, saltans, exultans, tripudians. Sic venit, quomodo sponsa dicebat, illumque desiderabat Cant. 8. 14. *Euge dilecte mi, assimilare capreæ, &c.* tanta celeritate, ac si fugere è cælo in terras videretur. Nec mirum; in instanti ad esset quascumque temporis moras in formatione sua rumpens, qui tanto ardebat desiderio nobis salutem conferendi per Incarnationis opus, ut diem generationis, & natalis sui, postremum mundi diem judicavit, juxta illud Pauli ad Heb. 9. 26. ubi diem adventus Christi consummationem sæculorum appellavit: *In consummationem sæculorum apparuit.* Ubi argutè S. Chrysost. *Quam salutem statim à creatione mundi hominibus non communicavit, in finem sæculorum rejectam putavit.* Ideò exarari voluit calamo Spiritus sancti infinitâ velocitate scribentis.

Illius scripturæ calamus Spiritus sanctus.

Ps. 44 2.

S. August.

Dei lingua Spiritus S. infinita velocitatis ad opus Incarnationis in instanti perficiendum.

S. Thom.

Dei amor celerrimus, & quodammodo præceps.

S. Nazianz.

Isai 5. 26.

Cant. 2. 7.

Cant. 8. 14.

Hebrę. 9. 26.

S. Chrysost.

358 Cæterùm, quo attramento scriptum hoc verbum à Spiritu sancto? Certè cùm Spiritus sanctus fuerit hujus scripturæ calamus, nihil in illum venire poterat, quod obscurum, quod nigrum esset: sed splendidum, sed lucidum, & purum ad illuminandum. Christi Corpus ex purissimis Matris sanguinibus Spiritus S. efformavit: animam mille splendoribus illustravit. Quod David expressit Ps. 109. 3. loquens de temporali Verbi divini generatione, juxta multorum expositionem: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.* Hebraicè habes; *in splendoribus sanctitatis*: id est, cum magnifico splendore, & immensa gloria sanctitatis, ut explicat Genebrardus. Illud verò, *ante luciferum* interpretatur noster Alcazar ibi, *præ sole*, ut invirtute, & splendore anteponatur Christus soli cùm in utero seu *vulva* Virginis conceptus est. Quinta editio legit: *Super auroram tibi ros.* Ros quidem lucis, de quo Isaias 26. 19. *Ros lucis, ros tuus.* Nihil non lucidum, & splendidum fuit in Christi generatione, ut verbum characteres humanæ naturæ sibi assumeret. Vide Isai. 62. 1. & Sap. 7. 25.

Nihil non lucidum & splendidum in Christi generatione pro scriptura atramento.

Ps. 109. 3.

Isai. 26. 19.

Isai. 8. 9.

359 Demum, qua in charta scriptum Dei Verbum? Planè in corpore Virgineo, veluti in charta mundissima, & candidissima. Hoc illud est, quod Isaias prædixit c. 8. 1. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis: Velociter spolia detrahe, citò prædare.* LXX. vertunt, *librum novum magnum*; in quo exarandum Paternum Verbum calamo Spiritus S. velociter scribentis: ideò nomen Domino futurum esse ait, *velociter spolians, citò prædans.* Rectissimè proinde Cretensis Orat. 2. de Dormit. Virg. *Tu es liber verè vivus ejus, qui in te tacitè fuit inscriptus, Verbi Paterni vivifico calamo Spiritus. Tu sola verè es novi testamenti volumen à Deo scriptum.* Et S. Damas. Orat. 1. de Nat. *Hodierna die is, qui omnia fecit, Deum Verbum, quod Pater è pectore eructavit, librum novum condidit Dei lingua à spiritu, tanquam calamo quodam in ipso scribendum.* Et Serm. de Dormit. Deiparæ, eam appellat *librum novum, in quo ineffabiliter Deus Verbum scriptus est sine manibus.* Et S. Epiphan. Ser. de laud. Virg. *Liber incomprehensus, quæ Verbum & Filium Patris mundo legendum exhibuisti.* Et S. Antonius 4. p. titu. 15. c. 12. asserit, Deiparam esse sacram Scripturam Biblia clariorem, in qua Deus scriptus reperitur; *Majora ostensa sunt in Maria, quàm in scriptura per Deum; nam scripturæ dedit ut Deum loquatur; Mariæ contulit, ut per eam Christus pandatur: ibi eum multiplex tegit figura, hic vestit eum Mariæ caro pura; ibi pronunciatur, hic ostenditur; ibi latet in mortua chartã, hic patet in carne monstratã.*

Exaratum Dei Verbum in corpore Virgineo, ut in charta mundissima, grandique volumine.

Cretens.

S. Damas.

S. Epiphan.

Majora ostensa sunt in Maria, quàm in Scriptura.

S. Antoni.